

Lorenz Stephani Peter Wasmund

Disputatio Anniversaria De Iniuriis Et Famosis Libellis

Rostochii: Pedanus, 1612


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730621723>

Druck Freier  Zugang



L. Stephan

R.U. jur. 1612



DISPUTATIO ANNIVERSARIA
DE
INJURIIS
ET FAMOSIS
LIBELLIS

QUAM
D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO
Dn. *LAVRENTII STEPHANI*
Juris Doctoris

defendet
PETRUS WASMUNDT
Neobrand. Megap.

In Auditorio majori 3. die Octobr.

OS (:) DE

Rostochl

1612
TYPIS IOACHIMI PEDANI Anno M. DC. XII.





Thesis I.



icuti jus, ita quoque injuria pluribus modis dicitur: generaliter namque injuria fieri dicitur, quod non jure fit: unde etiam injuria ex eo dicta est, quod non jure fiat.

II.

Specialiter injuria appellatione damnum culpa datum significatur, ut in L. Aquilia dicere solemus: interdum iniquitas vel injustitia, ut cum Praetor vel Iudex non jure contra quem pronunciat.

III.

Frequentissimè injuria pro contumelia, (à contemnendo sic dicta) accipitur quae propria ejus hoc loco significatio est.

IV.

Definitur autem injuria casum dolo malo in alterius contumeliam admissum: quae fit vel re sive facto, vel verbis: Unde illa realis, haec verbalis appellatur.

V.

Injuria re sive facto fit, quoties manus inferuntur, vel quid simile fit, & vel in corpus, vel extra corpus committitur.

VI.

In corpus Injuria inferitur, cum quis pugno pulsatus, aut fustibus coesus, vel etiam verberatus fuerit.

VII.

Extra corpus committitur, quoties citra corporis

lesionem aliquid fit actu quodam in alicujus infamiam
vel invidiam.

II X.

Utrupa, cum Comes matrone abducatur; vel pu-
dicitia attentetur.

I X.

Item, cum quis ad invidiam alicujus veste lugubri u-
tatur, aut squalida, aut si barbam demittat, vel capillos
submittat.

X.

Similiter, si ejus bona quasi debitoris qui nihil debe-
ret, possessa fuerint ab eo, qui intelligebat, nihil sibi eum
debere.

XI.

Si quis non debitorem ad tribunal vexandi causa
interpellaverit vel ejus bonis arrestum imponi obtinue-
rit, injuria inferre videtur.

XII.

Idem est, si quis medium digitum, vel unguem o-
stendat, carivarium faciat, linguam exerat, oculos di-
storqueat, denique alijs pluribus modis re fieri inju-
riam manifestam est.

XIII.

Injuria verbis committitur, quoties non manus infe-
runtur, sed convicium fit.

XIV.

Veluti si quis alterum dolosè Sycophantam homici-
dam, scelestum, raptorem, furm, luscum, coecum, clau-
dam, mendicium, non debitorem debitorem appellarit,
vel etiam alterum mentiri dixerit.

XV.

Sed quaeritur, si injurians veritatem dixerit, utrum
veritas

veritas conviciij illum excuset, ut actioni injuriarum adversus eum locus non detur? placet communis Dd. distinctio: Utrum Reipubl. intersit tale crimen manifestari an non, priori casu veritas criminis excusat; posteriori non utiqs.

XVI.

Similiter quaeritur, si injurians cum praefatione honoris injuriosa verba effutierit, ut, cum venia mentiris: salvo tuo honore fur es: anne protestatio illa injuriarum agere volenti obstat? Quod negamus.

XVII.

Ad injuriam verbalem non incommodè referri potest libellus famosus, vulgo pasquillus.

XIIX.

Qui definitur scriptura, qua alicui ad ejus infamiam, ignominiosum aliquod crimen dolosè obijcitur.

XIX.

Ex quo patet famosum libellum illum solummodo rectè appellari posse, qui ignominiosum crimen quoddam contineat, ob quod diffamatus poena mortis, vel qua alia poena corporis afflictiva coerceri possit.

XX.

Infamati quoq; nominis expressionem: Item infamantis suppressionem nonnulli ad libelli famosi substantiam pertinere tradunt; à quorum sententia recedimus.

XXI.

Patitur autem quis injuriā non solum per semetipsum, puta, cum directò patrifam. fit injuria, sed & per consequentias, per alias personas, Nam liberis vel servis suis vel similibus personis injuria inferitur.

XXII.

Hinc si uxori contumelia fiat, marito ea facta videtur, quapropter injuriarum agere potest. Con-

XXIII.

Contra autem, si viro injuria facta sit, uxor injuriarum agere non potest: defendi enim uxores à viris, non viros ab uxoribus æquum est.

XXIV.

Si nupta filiafamilias injuriam acceperit, ipsa uxor, ejus pater, maritus & socer ad injuriarum actionem admittuntur.

XXV.

Illud autem relatum est per æq; , eos qui injuriam pati possunt, & facere posse.

XXVI.

Sunt tamen quidam, qui injuriam facere non possunt, ut puta furiosus, impubes qui doli capax non est; namq; hi pati injuriam solent, non facere; siquidem injuria ex affectu facientis consistat.

XXVII.

Hinc etiam fit, quod, si quis per jocum aut dum certat percutiat, aut per ebrietatem aut iracundiam convicium dicat, injuriarum non teneatur.

XXVIII.

Regularitèr autem in injuriarum actione ex omni injurioso verbo & facto animus injuriandi præsumitur, nisi contrarium probetur.

XXIX.

Pœna injuriarum ex l. 12. tab. propter membrum quidem ruptum talio erat: propter os vero fractum pœnæ nummarie constitutæ erant. Verum pœna injuriæ ex l. 12. tab. introducta in desuetudinem abiit.

XXX.

Prætores vero postea permittebant ipsis qui injuriam passi sunt, eam æstimare; ut judex vel tanti reum con-

condemnet, quanti injuriam passus æstimaverit, vel minoris, prout ei visum fuerit. Et hæc actio prætoris sive honoraria in judicijs frequentatur.

XXXI.

Sed & L. Cornelia injuriarum actionem introduxit, quæ competit ob eam rem, quod se pulsatum quis, verberatumve, domumve suam vi introitam esse dicat.

XXXII.

Sciendum autem est de omni injuria, cum qui passus est, posse vel criminaliter, vel civiliter agere.

XXXIII.

Civiliter agitur, quando injuriam passus injuriam æstimat, & petit, ut judex reum in æstimationem illam condemnet, eamq; sibi ad judicet. salva tamen ipsius moderatione. Criminaliter agitur, cum actor petit, ut reo ex officio judicis poena extraordinaria irrogetur.

XXXIV.

Æstimatur autem injuria, vel ex persona, si magistratus, parens, vel patronus injuriã passus fuerit: vel ex facto, si quis ab aliquo vulneratus sit: vel ex loco, veluti, si cui in theatro, vel in foro, vel in Prætoris conspectu injuria facta sit.

XXXV.

Injuriarum actio datur ei, qui injuriam passus est, adversus eum qui injuriam intulit, vel eam inferri procuravit: perpetuaturq; ea in ejus heredes, si lis cum defuncto contestata fuerit.

XXXVI.

Est & aliud actionis genus, quo injuriam nobis illatam vindicamus, quod longo usu receptum & Imperiali auctoritate comprobatum est, vidl. ut is, qui injuria lacepsitus est, ad recantationem, reclamationem sive palinodiam agat; quæ actio non criminalis, sed civilis est.

Extin-

XXXVII.

Extinguitur actio injuriarum pacto, transactione, juramento, morte, dissimulatione.

XXXIIX.

Sed hoc loco moveri potest quaestio illa; utrum pater invito filio actionem injuriarum civilem remittere possit? quod negandum putamus.

XXXIX.

Deniq; aboletur injuriarum actio tempore; praetoria annuo, civilis perpetuo.

XL.

Pœna famosi libelli in jure nostro capitalis est.

XLI.

Qua non solum ejus compositores, sed etiam divulgatores tenentur.

XLII.

Nam ita Impp. Valentinianus & Valens rescripserunt: Si quis famosum libellum, sive domi, sive in publico, vel quocunq; loco ignarus repererit: aut corumpat priusquam alter inveniatur, aut nulli confiteatur inventum. Si vero non statim easdem chartulas vel corruperit, vel igni consumpserit, sed vim earum manifestaverit: sciat se quasi autorem hujus delicti capitali sententiae subjugandum.



condemnet, quanti injuriam passus æstin-
ris, prout ei visum fuerit. Et hæc actio
noraria in judicijis frequentatur.

XXXI.

Sed & L. Cornelia injuriarum actio
quæ competit ob eam rem, quod se pulsus
ratumve, domumve suam vi introitam e-

XXXII.

Sciendum autem est de omni injuria
est, posse vel criminaliter, vel civiliter agi

XXXIII.

Civiliter agitur, quando injuriam pa-
mat, & petit, ut iudex reum in æstimati-
demnet, eamq; sibi ad judicet. salva tan-
tione. Criminaliter agitur, cum actor pro
cio iudicis poena extraordinaria irroget

XXXIV.

Æstimatur autem injuria, vel ex pe-
tus, parens, vel patronus injuriã passus fu-
quis ab aliquo vulneratus sit: vel ex loco
theatro, vel in foro, vel in Prætoris con-
sit.

XXXV.

Injuriarum actio datur ei, qui injuriam
versus eum qui injuriam intulit, vel eam
vit: perpetuaturq; ea in ejus heredes, si
contestata fuerit.

XXXVI.

Est & aliud actionis genus, quo injuriam
vindicamus, quod longo usu receptum &
tate comprobatur, vidl. ut is, qui injuriam
ad recantationem, reclamationem sive
quæ actio non criminalis, sed civilis est.

